

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

AUXILIO

IN

REPENTINIS VITÆ PERICULIS,

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI

DECANI,

NEC NON

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME OBTINENDIS

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

Godofredus Crusiz,

Carinthus Villacensis.


In Theses adnexas disputabitur in Universitatis
aedibus die 22. mensis Februarii 1834.

VINDOBONAE.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.


ILLUSTRISSIMO, DOCTISSIMO
AC CELEBERRIMO
DOMINO DOMINO
ANTONIO JENNIKER,
C. R. GUBERNII PROVINCICIARUM AUSTRIAE
LITTORALIUM CONSILIARIO,
PROTOMEDICO EARUNDEM PROVINCICIARUM,
PLURIUM SOCIETATUM ERUDITARUM
MEMBRO AC SODALI
ETC. ETC.

V I R O
SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA
A E Q U E I N S I G N I
I N T E S S E R A M D E B I T A E O B S E R V A N T I A E
P I A C U M V E N E R A T I O N E
H A S S T U D I O R U M S U O R U M P R I M I T I A S
OFFERT




AUCTOR.

ILLUSTRISSIME VIR!



E scholarum umbris vix egressus, auctor esse cogor, — conscripsi ergo has pagellas, quibus revera nil novi in lucem profero. Sentio et quilibet mecum sentiet non esse in medici juvenis potestate propriae experientiae data



**proferre, quare non docendi, sed
discendi et utilia necessariis im-
miscendi mihi fuisse fervorem Te
persuasum esse rogo.**

Devinctissimus Auctor.

Qui in asphycticis vitae flammam revocare vult, medicus pulchrum suscipit negotium, sed et negotium, quod summam circumspectionem et indefessam industriam sibi exoptulat. Nec parva peragenda, nec pauca et facilia vincenda habet, qui talem molitur resuscitationem, ast his victis medicus adstantibus Deus est, et dulcis conscientia confratribus fratrem, parentibus proles, prolibus parentes reddidisse laetum nunc implet cor. Si auxilia continuata absque effectu manserunt, si omnia frustranea videntur, si quilibet jam de prospero desperat eventu, et si imago mortis denique vitae evigilanti cedit, — quid medicus juvans — quid adstantes sentiunt?

Cum quolibet repentine mortuo experimenta institui debent, ne forsitan vivus terrae tradatur, quod eo facilius accidere potest, quo magis certa signa desiderantur, quae mortem dubiam, saltem primis diebus a vera distinguunt. Cordis enim et arteriarum pulsatio silens; respirationis interceptio; sensuum et motuum voluntariorum abolitio; frigus totius corporis artuumque rigiditas; irritabilitas musculorum deleta; sanguinis in vasis etiam apertis stagnatio;

collapsus corneae et deperditus oculi vigor adesse possunt, quin homo jure mortuis adnumerandus sit. Inaequale pupillarum lumen, quod *Anglus Kite* plus, quam meretur aestimat, non minus ad incerta pertinet mortis signa. Putredo, quamvis omnibus prioribus securius signum, tamen ex integro mortis genuinae characteristicum dici non potest. Ex quibus omnibus patet plane nullum dari phaenomenon mortem veram absolute indicans, et nos non prius de illa certos reddi, nisi per complexum omnium in morte genuina occurrentium signorum et per continuam illorum praesentiam. Quamdiu vero memorata momenta desiderantur, asphyxia supponi et omnia fieri debent, quae illam tollere valent.

Quo magis necessitas urget in dato casu certe citoque auxilium praestandi, eo magis cuilibet elucebit, exactam cognitionem omnium ad hoc opus necessariarum regularum, machinarum et remediorum sacrum esse et nunquam negligendum officium tum medici, quum chirurgi.

Regulae sub dicto negotio observandae, sunt sequentes :

1. Seligatur aptissimus locus. Anni tempore et aliis circumstantiis faventibus fiat resuscitatio in loco, ubi infelix invenitur, si autem hoc non concessum esset, caute transportetur in domum vicinam, officinam tonsorum vel in pharmacopolium, ita quidem ut illius caput quid-

quam elevatum, truncus vero et extremitates in situm horizontalem dispositi sint.

2. Remedia tam externa quam interna certo ordine adhiberi debent, quem individui constitutio et asphyxiae species dictant.

3. Quodlibet singulum remedium cum industria, adtentione et pertinacia adplicetur, quia experientia docet talia conamina saepe non prius nisi multis praeterlapsis horis prospero effectu coronata fuisse.

4. Ab initio mitiora, his non sufficientibus fortiora in usum vocanda sunt remedia, et non nisi serius ad fortissima transeundum, quia tristia noscimus exempla, in quibus inordinatus et excedens auxilium praestandi fervor superstitem adhuc et latentem vitae scintillam penitus extinxit.

5. Necessae est, misero sub remediorum adplicatione tranquilla concedere intervalla, ut sub illis minima signa redeuntis vitae acuto lustrari possent oculo.

6. Ultimo denique adhuc memorandum est, omnes homines superfluos sub tali negotio removendos esse. Quinque sufficiunt.

Sub nomine apparatus resuscitatorii intelligimus omnium materierum, instrumentorum et machinarum huic scopo inservientium complexum.

Diversae materiae : linteamina (Leintücher); frusta panni majora (Flanell); laciniac (Leinfetzen);

lintheum carptum; setae molliores et duriores; vas pro pediluvio, aliud majus pro balneo integro; aqua frigida et fervida; apparatus parando igni inserviens; agaricus chirurgorum; — species Altheae, oleum Olivarum, — sal amarus, folia Sennae, — herba Menthae piperitae, crispae, herba Melissa, Rutae, flores Chamomillae vulgaris, Arnicae; vinum, alcohol, acetum radicale, spiritus aromaticus, camphoratus; tinctura Cinnamomi, Castorei; spiritus aetheris sulfurici, aetheres, spiritus salis ammoniaci causticus, spiritus cornu cervi, sal Anglicanus volatilis, — tartarus emeticus, sulfas Zinci, radix Ipecacuanhae, — Opium, folia Nicotianae, — alumen, lapis causticus, lapis infernalis, butyrum Antimonii.

Instrumenta: lanceolae, phlebotomus, cucurbitae, volsellae, cultri, acus, syringae (major et minor) pro injectione in os et fauces, catheteres, tubuli elastici, nec non bronchotomus Richteri.

Machinae: a) Corbis portatorius seu lectica (der Tragkorb) est ex viminibus salicinis plexa machina corbem figura aemulans, uno extremo pro excipiendo capite quidpiam altior, asphyctis bajulandis inserviens.

b) Machina alia (der Sucker) demerso exquirendo inservit. Est nimirum hemicirculus ferreus in apicibus suis globulos ad evitandam laesionem gerens et in medio partis convexae periticae longae lignae affixus.

c) Forceps (die Fangzange) est machina a mechanico Hamburgensi *Braasch* inventa, perticae lignae longae ac clavata, forcipi obstetriciae simillima, cruribus obtusis fenestratis, sub dimissione in undas proprio pondere aperiendis et fune iis adligato claudendis, provisiva; qua submersi ex aquis, suffocati e foveis vel aliis locis aditum denegantibus extrahuntur.

d) Scala eliberatoria (die Rettungsleiter) est machina scalae vulgari similis, sine altero perticam longam mobilem fixatam gerens, pro lubitu scalae apponendam vel inde removendam, quae illi scopo inservit, ut vir opem ferens in tenui glacie absque periculo demerso adpropinquare possit.

e) Navicula glacialis (das Eisboot) est machina corbis ad instar plexa, in fundo aperturam claudendam ostendens, externe corio cincta. Tali navicula, clausa fundi apertura, navigare licet, hac autem aperta, insistens ei homo super glacie procedere valet; adhibetur ad liberandum hominem inter glaciem situm, accessu ad illum ob hanc et aquam denegato.

f) Scamnum calefaciens (die Wärmebank). Haec machina cadum potius, quam scamnum referens, componitur tenuibus ferri vel cupri laminis, constatque parietibus duplicatis, interstitio duorum circiter pollicum provisiva, infundendae aquae calidae inservientibus; huic nunc cadu calefaciendus asphycticus imponitur.

g) Follis duplicatus a *Gorcy* inventus et a *Rovland* emendatus. Hic adparatus folli parvo culinari similis est et duobus similibus follibus constat, communicatione inter se ob sepimentum ligneum carentibus. Inservit aëri in organa asphyctici respiratoria inflando, hujusque iterum ex iisdem extractioni. Si deficit, tubulus tenuis ori clausis miseri naribus, immisus eundem effectum praestat, in absentia hujus, os sani hominis, ori demortui adplicando inflatur aër.

h) Syringa injectioni fumi *Nicotianae* in intestinum rectum inserviens, similitudinem habet cum syringa vulgari, extremo suo inferiore pyxidem metallicam *Nicotiana* accensa repletam gerens ita constructam, ut sub emboli trusione, fumus in intestinum promoveatur, illo vero attracto, syringa iterum ex pyxide recentem accipiat fumi quantitatem. In defectu hujus, fumus prius ore sani attractus, per tubulum tenuem oleo prius illinitum et intestino recto immisum, inflari potest.

i) Apparatus electricus huc quoque spectat, constans ex una machina electrica mediae magnitudinis, bene constructa, e conductore, e vitris armatis pluribus, ex una catena metallica, insula, bateria etc.

k) Columna *Voltae* ex pluribus laminis composita.

Machinarum hucusque enumeratarum et aliarum insuper, dicto scopo inservientium latio-

rem descriptionem clar. *Günther* in opere suo unacum iconibus earum communicat *).

H y d r a s p h y x i a.

Hæc asphyxiæ species tunc exoritur, si homo liquido cuidam, ut plurimum aquæ inmergitur. Submerso, exceptis læsionibus, quibus expositus est, duplex minatur mors; vel enim aestuante corpore et capite prius aquæ mergendo, apoplectice enecatur, (quod jam ista repentina mutatio temperaturæ sola producere valet) quam causam *Boerhave*, *Cullen*, *Svitennius*, *Chait*, *Kite* defendunt; vel vero succumbit suffocando, partim ob defectum aëris, partim ob liquidum vias aëreas subintrans. Posteriori opinioni plures renitebantur naturæ scrutatores prætendentes in viis respiratoriis nullam contineri aquam, quia muscoli epiglottidis spasmo correpti omni fluido ingressum vetant. Experimenta autem reiteratis vicibus de hac re instituta extra dubii limites posuerunt, aquam non obstante spastica musculorum contractione ventriculum viasque simul aëreas subintrare, et tali ratione ad plenarium respirationis silentium suam contribuere symbolam.

*) *J. A. Günther's Geschichte und Einrichtung der Hamburger Rettungsanstalten für im Wasser verunglückte Menschen. Hamburg 1794.*

Homo post diutiorem moram aqua exemptus, offert corpus rigidum, omni calore privatum; faciem pallidam, in plurimis locis corrugatam; nares et labia profunde caerulea, mucosum spumescens albo vel et rufescente obducta; maxillam inferiorem superiori adstrictam; linguam tumidam; corneam flaccidam, minus pellucidam, pupillam dilatatam; abdomen tensum; vibrationes cordis et arteriarum, motusque respiratorios penitus sublatis.

Duriorum vitam hoc asphyxiae specimen minimam admittit, praecipue si aliae infaustae circumstantiae tempore submersionis quoque adfuerunt. Quo magis enim corpus sudavit, quo frigidius erat liquidum, quo diutius infelix sub undis haesit, quo minus firma illius sanitas fuit, eo tristior prognosis statuenda. Respectu ultimi, sunt praecipue pectoris morbi, habitus apoplecticus, senectus, graviditas, hysteria etc., momenta valde timenda. Nec reticendum est, ebrietatem ante submersionem praesentem, ventriculum cibis multis, gravibus, durioribus onustum non parum ad tristem eventum conferre posse.

Observata hominis submersione, duo momenta respicienda sunt:

1. Cautissima ac citissima extractio.

2. Congrua applicatio remedium congruorum.

Ad inveniendum submersum Angli suase-

runt, panem mercurio vivo replere et aquae apponere, asserueruntque eum ibi in superficie aquae subsistere, ubi infelix jacet. Ast haec observatio adhuc in dubio est, et si aliquid veri tenet, id solummodo in aquis stagnantibus fieri potest. Aptius nobis videtur instrumentum quaerens dictum, supra memoratum, quo repertus miser, forcipe dein Neptuni regno eripitur; sicque nunc si anni tempus ac diei tempestas non repugnant, resuscitatio in fluvii ripa suscipiatur, in casu autem contrario cum cautela, in corbe portatorio vel alio modo (prospiciendo tamen ut regulae supra adductae observentur) in proximam aut huic fini dicatam deferatur domum. Asphycticus, vinculis omnibus solutis ex integro denudetur, corpus abstergendo sicceatur, os arena, limo vel muco repletum, digito linteo obducto mundetur naresque injectionibus tepidis a materiis peregrinis liberentur. Inversio submersi pedibus superiora versus spectatis, aut talis super dolio capite deorsum pendente volutatio, tamquam vitae infensissimae plebis consuetudines jure meritoque rejiciendae sunt.

Denudato submerso signisque apoplexiae praesentibus, instituatur venaesectio et fomenta cum aceto capiti imponantur; hac autem absente, caloricum illico corpori communicetur, exceptis hieme aquis mersis, qui fere ut congelati tractandi sunt. Sub caloris adplicatione

frictio quoque instituatur ab extremitatibus inchoanda et in regione cordis desinenda; aëris etiam inflatio adhibeatur, unguentum oxygenatum inungatur, perspersio cum aqua frigida ejusque stillicidium non negligantur in scorbiculo cordis instituenda, subsequa hujus partis, post singulum stillicidium frictione ope panni; clysmata irritantia tandem porrigantur, demum vero electricitas atque Galvanismus applicentur, posterior ita, ut unus polus ori — alter ano imponatur, his vero longiori tempore frustra adhibitis ad stimulantia fortiora v. c. ad urticationem, cauterisationem, instillationem ceræ Hispanicæ accensæ, procedendum est.

Psychrasphyxia.

Homo gradui frigoris intensiori expositus, sensim omni calorico privatur, partes ejus rubere, ardere et dolere incipiunt, donec paralyticae quasi evadant; tunc enim ipse homo fit debilior, somnolentus et ultimatim obdormit, sicque brevi cessante respiratione et circulatione hac abripitur asphyxia. Corpus nunc pallet, friget, artusque omnes vitri instar fragiles rigent, liquida infra cutem sita, congelata apparent, vasa rumpuntur totalem vitae annihilationem causantia.

Producitur hæc asphyxiae species per frigus intensius in organismum agens, quo calorico, stimulus alendæ vitæ necessarius, sub-

trahitur, unde systematis nervosi functio impedita, circulationis quoque labem post se trahit. Vita vasorum in superficie corporis decrescente, sanguinis torrens interiora versus pellitur, cerebrumque nunc premento, somnus hominem vincit. Cadavera congelatorum, vasa cerebri et aliarum partium rupta ostendunt, quo in casu prognosis infaustissima statuenda, dum ex opposito saepe post triduum resuscitare licet, gelu rigidum.

In resuscitatione congelatorum indicatum est:

1. Liquida coagulata fluida reddere;
2. Caloricum deperditum restituere,
3. Respirationem provocare, et
4. Circulationem promovere.

His itaque satisfacturi, opus resuscitationis sequenti modo instituere convenit: congelatus ad locum deferatur, quem aër non perflat, vestibus ea cum cautela exuatur, ne membra vitri instar fragilia violentur, demum autem nudus nivibus tegatur, aut (excepta facie) aquae frigidissimae imponatur, vel cum eadem lavetur, membraque sensim sensimque inflecti tententur. Praesente nunc flexibilitate artuum, frigido tradatur congelatus lecto, aut talibus involvatur pannis, inflatio aëris quoque tentetur. Sub hac rerum positione asphycticus cubili moderate calido inferatur, nivibus aut spongia aqua frigida imbuta friccetur, nec non clysmata ex sola aqua cum oleo olivarum parata sum-

ma cum circumspectione applicentur. Sagaciss. *Wendt* nunc stillicidium aquae frigidae ad regionem cordis instituere, abdomen vero oleo fricare suadet.

Remedia hucusque exposita usque signa vitae redeuntis continuare oportet, his vero apparentibus balnea initio solum tepidula, sensim vero calore augenda propinare juvat. Vita tandem penitus reversa, infusa florum Chamomillae, tiliae, Menthae piperitae, crispae, Melissa etc. non exiguam exserunt virtutem. Stimulantia fortiora in aliis asphyxiae speciebus adhibenda, hic rarissime propinentur, venaesectio quoque hic infensissima, nunquam instituatur, nisi fors posthuma synocha debellanda esset.

Asphyxia ex fulmine.

Organismus humanus tantam actionis vitalis labem a fulminis ictu patitur, ut saepissime nulla resuscitationis possibilitas cogitari possit, quod tunc praecipue accidit, ubi integrum fulminis ictum experitur homo, sic enim vitalitate omni privatus momentanee exanimis concidit; dum vero partialis solum fulminis contactus unum alterumve hominis membrum attingit, tunc facile asphyxia corripitur talis, aut paralyti furore vel amentia per integram gravatur vitam.

Corpus hominis fulmine tacti est flexile, in diversis plagis exustum maculisque diversimode

figuratis, rubris aut caeruleis notatum. In illis locis, quibus vestes strictius adhaerent, ossa diffracta tanguntur, e naribus sanguis profluit dilacerata vasa indicans, quorum signa extravasata quoque cranii, in cadavere secto et cito putrescente monstrant.

Quidam hujus mortis causam in combustione quaerunt, rarissime tamen contingentem, ibi solum ubi homo in spontaneam combustionem summe dispositus est; alii eandem a suffocatione derivant, per aërem sulphureum in cubili angusto orta; ubi vero in campo aut loco ampliori fulminis ictum experitur homo, vehemens corporis concussio insequitur, congestio sanguinis ad encephalon, ruptura vasorum, extravasata oriuntur, et hinc pressio cerebri tristissimam post se trahens prognosim.

In asphycticis fulmine tactis ob sensibilitatem, et irritabilitatem suppressam, stimulantia indicata sunt, venaesectio vero in rarissimis solum casibus in usum trahenda; quamvis clariss. *Sprengelus* narrat, octo milites ad semel fulmine tactos, per venaesectionem resuscitados fuisse. — Aëris econtra inflatio, perspersio cum liquidis spirituosis, applicatio clysmatum nunquam negligantur, praesertim autem balneum terrae ab omnibus commendatur, ita instituentum ut asphycticus nudus in fovea, capite altius sito, usque ad faciem terra moderate obtegatur vultusque ipsius aqua frigida saepius per-

spergatur, hocque per unam alteramve horam continuetur. Ubi vero hucdum nominata optatum effectum non praestarent, stimulantia efficaciora superius memorata in auxilium vocare juvat, ipsa etiam electricitas saepe optimo cum effectu applicatur.

Strangulatio.

Strangulati faciem exhibent turgidam, lividam cum naso, palpebris et labiis nigrocaerulescentibus, oculos prominentes, linguam tumidam ex ore pendentem, venas cerebri et meningum extensas nec non pulmones sanguine turgidos. Sub strangulatione aut suffocatio, aut apoplexia, aut utraque simul vitam exstinguit; sic quoque laesiones colli majores, praecipue luxatio vertebrarum, citam inducunt mortem.

Prognosis est eo laetior, quo firmiter individuum, quo citius auxilium illi oblatum, quo mollior, latior vel crassior fuerat laqueus.

Talem infelicem in vitam revocaturi ejus a corpore constringente liberationem ante omnia instituere debemus, ita suscipiendam, ne dum funis solvitur suspensus ad terram labatur; quare ubi unus non sufficit, plures hoc opus suscipiant, quin se eo contemni putent.

Sic liberatus denudetur, hisque factis adtentio in apoplexiam dirigatur, qua consuetim in statu hocce praesente, venaesectio illico institua-

tur in vena jugulari externa, aut brachiali, praeterca fomenta frigida capiti imponenda, lotiones cum aqua frigida et aceto, clysmata, frictiones uti in submerso instituendae commendantur. Aëris inflatio ita instituatur, ut compressae cartilagineae laryngis et tracheae, moderata contractatione in statum pristinum reponantur, dein autem pulmonibus aër inmittatur. Ubi vero nulla apoplexiae signa adsunt, et status hicce per paralysis pulmonum inductus esse videtur, tunc stimulantia spirituosa ac reliqua analeptica adhiberi possunt.

Signis vitae redeuntibus frictio et inflatio aëris seponantur, deglutitione autem praesente, infus. Chamom. Samb. Melissae, Menth. pipéritae, crispae etc. dentur. Ubi aeger perfecte vitae restitutus respirationem stertorosam cum pectoris oppressionem offert, bechica, — et abactis signis congestionis versus caput, emetica cum emolumento exhibebis.

Asphyxia apopnctica.

Inducitur haec asphyxiae species per inspirationem aëris corrupti, mephitici. Potest quidem aër variis gazibus et vaporibus corrumpi, frequentissime tamen gaze acido carbonico, azotico aut hydrogenio. Aëres similes vitae infensissimi ut plurimum in cubilibus exhalationibus florum gravibus, in fossis, spatiis diutius oclusis,

cellis, putealibus, regionibus palludosis evolvuntur.

Si aër penitus corruptus inspiratur, hominem, praegressa sensuum obnubilatione, cito corruere cogit, ubi vero pedetentim degeneratur, ibi vita quoque lento labitur passu, atque tunc persentitur oppressio pectoris, respirationis impedimentum, anxietas, constrictio capitis, cephalaea, vertigo, nausea, spasmus musculorum maxillae inferioris, his accedit visus stellarum et scintillarum quem animi deliquium excipit, cito asphyxia terminandum.

Talis asphycticus offert faciem pallidam, saepius vero tumidam rubramque aut nigro caerulescentem, oculos prominentes cum pupilla dilatata; venae superficiales turgent, praepressis illae colli, membra sunt flexilia et in ipso cadavere omnia praegressae suffocationis signa.

Cita asphyctici ex aëre mephitico eductio, primum resuscitationis auxilium sistit, quod ut absque sanitatis alterius detrimento fiat, fenestris janisque apertis renovetur aër, vel si hoc non conceditur, stramen accensum injiciatur aut sclopus explodatur; subintrans dein hunc locum homo vesicam aëre respirabili repletam ori adligatam servans asphyctici exportationem suscipiat. Asphycticus aëri puro expositus ac idoneo loco congrue locatus, aqua frigida perspergatur, aëris inflatio instituat nec non gaza nociva folle duplici supra memorato ex pulmonibus educantur.

Vaporibus acidis in asphyxiam incidenti, spiritum salis ammon. naribus admovemus vel et unam alteramve guttam linguae instillamus, imo deglutitione jam concessa ejus spiritus aut olei tartari per deliq. exiguam exhibemus dosim; ubi vero asphyxia putridis evaporationibus producta fuit, ibi acida adhibere convenit, quem in finem lotiones cum aceto, clysmata similia, potus acidi propinentur, nec non frictiones cum acido muriatico instituantur; in casu vero summae debilitatis stimulantia adhibeantur.

Vita perfecte evigilata aeger non raro vehementi molestatur trismo, quem spiritus camphor. opii cum oleo Chamom. in linimentum redacti inunctio fugare valet; ubi autem vomitus spontaneus exoritur, tunc ingens mucii copia evacuatur, quam evacuationem, si sponte non subsequitur (signis apoplexiae absentibus), tepida aqua vel emeticis adjuvare convenit, posthumis denique malis, vertigini, temulentiae, cephalaeae quilibet prudens medicus congrua opponet remedia.

Theses defendendae.

- I. Melius curat aegros, quos sanos novit medicus.
 - II. Jactura sanguinis saepe lucrum.
 - III. Febris puerperalis cum febribus puerperarum non confundenda.
 - IV. Saepe morbus quidem patet, sed sanationis ratio latet.
 - V. Aurum peculiaris est stimulus pro homine.
 - VI. Venerem Mercurius, Mercurium Mars vincit.
 - VII. Nec hymen praesens virginem, nec absens defloratam designat.
 - VIII. Eunuchis potentia generandi non semper deneganda.
 - IX. Cujus ψυχη multa generat, hujus φυσis non generet.
 - X. Foeminae formositatem sibi adpingentes, formositati suae male consulunt.
 - XI. Decrepiti non raro proles optatos a nympa Gastunensi acceperunt.
 - XII. Qui gulae ponit metas, illi longior aetas.
 - XIII. Amor Platonicus abunde loquitur pro nexu dynamico inter nonnullos mortalium.
 - XIV. Non morimur, sed aliter orimur.
-

